



MOTV PROPRIO &c. Cum sicut accepimus dilectus filius Victorius Helianus Bibliopola nobis nuper exponi fecerit ad communem omnium studiosorum vtilitatem suis sociorumq; expensis nonnulla opera, scilicet, Commentaria doctoris Francisci Toledi Societatis IESV in summam Theologicam S. Thomæ, eiusdem Instructi onem Sacerdotis siue casus conscientia, Eiusdem commentaria in libros Aristotelis de anima, Magistri Christophori Clauij in sphaeram Sacroboschi, literas Indicas patrû Societatis IESV, Epigrammata selecta, orationes selectas, Synonyma ex Cicerone, Terentium, Plautum, Horatium ab omni obscenitate purgatos, Catenam in Euangelia doctoris Emanuelis Societatis IESV hæctenus nõ impressa imprimi facere intendat, dubitetq; ne huiusmodi opera postmodum ab alijs sine eius licentia imprimantur, quod in maximum suum præiudicium tenderet, Nos propterea eius indenmitati consulere volentes, Motu simili & certa scientia eidem Victorio, ne prædicta opera hæctenus non impressa, & per ipsum ab Inquisitoribus loci, in quo imprimuntur, examinata & approbata, vel si in vrbe a Magistro sacri palatij imprimenda per decem annos, a quocunq; sine ipsius licentia imprimi, aut ab ipsis vel alijs vendi, seu in eorum apothecis, vel alias venalia, preterquam a dicto Victorio impressa vel imprimenda teneri possint, concedimus, & indulgemus. Inhibentes omnibus, & singulis Christi fidelibus tam in Italia quam extra Italiam existentibus, præsertim bibliopolis, & librorum impressoribus, sub excommunicationis, In terris vero S. R. E. mediate vel immediate subiectis etiam quingentorum ducatorum auri cameræ apostolicæ applicandorum, & insuper amissionis librorum penis toties ipso factò, & absq; alia declaratione incurrendis, quoties contrauentum fuerit, ne intra decennium computandû dicta opera tam latina quam italica hæctenus non impressa, & per ipsum Victorium imprimenda sine eiusdem Victorij expressa licentia, dicto decennio durante, imprimere seu ab ipsis vel ab alijs, preterquam a dicto Victorio impressa, imprimenda vendere, seu venalia habere, vel proponere, vel ea vt supra habere audeant, Mandantes vniuersis venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, eorumq; Vicarijs in spiritualibus, generalibus